

Tipasa, Itemq; à Vespasiano Imperatore eodem munere donatū Icosion. Colonia Augusti Rusconia, Ruscurium ciuitate honoratū à Claudio, Rusazus colonia Augusti. Satde colonia eiusdem, Igilgili, oppidum Tucca impositum mari & flumini Ampsaga. Intus colonia Augusta, quæ item Succubar. Item Tubusuptus. Ciuitates, Timici, Tigana. Flumina Sardabala, Nabar, gens Macurebi, flumen Vsar, gens Nabades. Flumen Ampsaga, abest à Cæsarea cccxxij. M. pass. Vtriusque Mauritania longitudo decc. xxxix M. Latitudo cccclxvij. M. passuum.

Numidia.

CAP. III.

AB Ampsaga Numidia est, Masanissa clara nomine, Metagonitis terra à Græcis appellata: Numida vero Nomades, à permutandis pabulis: mapalia sua, hoc est domus, palustris circūferentes. Oppida Cullu, Rusicade, & ab eo ad xlviij. M. pass. in mediterraneo colonia Cirta, Sittianorū cognomine, & alia intus Sicca, liberumq; oppidum Bulla regia. Et in ora Tacatua, Hippo regius, flumē Armua. Oppidum Tabracha ciuium Ro. Tusca fluius, Numidia finis: nec præter marmoris Numidici, ferarumq; prouentum aliud insigne.

Africa.

CAP. IIII.

ATusca Zeugitana regio, & quæ proprie vocetur Africa, est. Tria promontoria. Candidi, mox Apollinis aduersum Sardinie, Mercurij aduersum Siciliae, in altum procurrentia, duos efficiunt sinus: Hipponensem proximum ab oppido, quod Hipponem dirutum vocant, Diarrhytum à Græcis dictum, propter aquarum irrigua. Cui finitimum Theudalis immune oppidum, longius à littore. Dein promontorium Apollinis, & in altero sinu Vtica ciuium Rom. Catonis morte nobilis. flumen Bagrada. Locus, castra Cornelia, colonia Carthago, magna in vestigijs Carthaginis, colonia Maxulla. Oppida, Carpi, Misua. Et liberū Clupea in promontorio Mercurij. Item libera Curubis. Neapolis. Mox Africa ipsius alia distinctio, Libyphænicæ vocantur, qui Byzacium incolunt. Ita appellatur regio ccl. M. pass. circuitu, fertilitatis eximia, cum ceteris fruge agricolis sœnus reddente terra. Hic oppida libera, Leptis, Adrumetū, Ruspina, Thapsus. Inde Thena, Macomades, Tacape, Sabrata cōtingens Syrtim minorem, ad quam Numidie & Africa ab Ampsaga longitudo dlxxx. M. pass. Latitudo, qua cognitū est, cc. M. Ea pars quæ Africā appellauimus, diuiditur in duas prouincias, veterē & nouā, discretas fossa, inter Africanum sequentē et reges, Thenas vsq; perducta, quod oppidū à Carthagine abest cccxvij. M. p. Tertius sinus diuiditur in geminos, duarū Syrtium vadoso ac reciproco mari diros. Ad proximā quæ minor est, à Carthagine ccc. M. p. Polybius tradit. Ipsam c. M. pass. aditu, ccc. M. ambitu. Et terra aut siderum obseruatione ad eam per deserta harenis, perq; serpentes iter est. Excipiunt saltus repleti ferarū multitudine, et intror

fus elephatorū solitudines, mox deserta vaste, vltraq; Garamates, ab Augylis dierum xij. itinere distantes, Super illos fuere gens Psylli, super quos lacus Lycomedis, desertis circumdatus. Augyla ipsi medio fere spatio locantur ab Aethiopia, quæ ad occidentem vergit, & à regione quæ duas Syrtes interiacet, pari vtrinq; intervallo, sed littore iter duas Syrtes, ccl. M. pass. Ibi ciuitas Oeensis, Cynipsis fluius ac regio. Oppida, Neapolis, Taphra, Abrotonū. Leptis altera quæ cognominatur magna. Ide Syrtes maior, circuitu dcxxv. M. p. aditu autem cccxij. M. pass. Inde accollit gens Cispadum. In intimo sinu fuit ora Lotophagon, quos quidam Alachroas dixere, ad Philenorū aras: ex harena sunt ea. Ab his non procul à cōtinente palus vasta amnem Tritonem, nomenq; ab eo accipit, Pallantias appellata Callimacho, & citra minorem Syrtim esse dicta: à multis vero inter duas Syrtes. Promotorium quod maiorem includit, Borion appellatur: Vltra Cyrenaica prouincia. Ad hunc finē Africa à fluuio Ampsaga populos xxvi. habet, qui Ro. parent imperio. In his colonias vi. præter iam supradictas, Vthinam, Tuburbin. Oppida ciuium Rom. xv. ex quibus in mediterraneo dicenda Azuritanū, Abutuense, Aboriense, Canopicum, Chilmanense, Simituense, Thunusidense, Tuburnicense, Tynidrumense, Tibigese. Vcitana duo, maius et minus, Vagese. Oppidum Latinum vnū Vsalitanū. Oppidū stipendiariū vnū Castris Cornelij. Oppida libera xxx. ex quibus dicenda intus Aclitanū, Acharitanū, Auinense, Abziritanū, Canopitanū, Melzitanū, Madaurense, Salaphitanū, Tusdritanum, Tiricense, Tiphicense, Tunisense, Teudense, Tigestense, Tigense, Vlusuburitanum, Vagense aliud, Vigense, Zamense. Ex reliquo numero non ciuitates tantum, sed pleraq; etiam nationes iure dici possunt, ut Natatabudes, Capsitani, Misulani, Sabarbares, Massyli, Nisives, Kamacures, Ethini, Mussini, Marchubij, & tota Getulia ad flumen Nigrin, qui Africam ab Aethiopia dirimit.

Cyrene.

CAP. V.

CYrenaica eadē Pentapolitana regio illustratur Ammonis oraculo, quod à Cyrenis abest cccc. M. pass. fonte solis, vrbibus maxime quinq; Berenice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, ipsa Cyrene. Berenice in Syrtis extimo cornu est, quondam vocata Hesperidū supradictarum, vagantibus Græcia fabulis. Nec procul ante oppidum fluius Lethon, lucus sacer, vbi Hesperidum horti memorantur. Abest à Lepti cclxxxv. M. pass. Ab ea Arsinoe, Theuchira vocitata, xliij. M. pas. Et deinde Ptolemais, antiquo notē Barce, xxij. M. pas. Mox ccl. M. promontoriū Phycus per Creticū mare excurrit, distans ccl. M. passuum à Teuaro Laconica promontorio. A Creta vero ipsa cxxv. M. Post id Cyrene à mari xi. M. passuum. A Phycunte Apolloniam vigintiquatuor M. passuum. ad Cherronesum lxxxvij. M. passuum. Vnde Catabarbinū cxxvi. M. passuum. Ac colunt Marmaride, à Paratonij fer-